

tione E. g. cum dico, *O. natus morietur*:
subjectum *natus* non tantum connotat fu-
turum tempus, quod in verbo involvitur,
quat. nimirum sumitur pro eò, qui nasce-
tur, sed & präteritum importat, quia ha-
bet hunc sensum: *O. qui natus est & nasce-
tur, morietur*. Si verò subjectum proposi-
tionis alicujus planè diversam importat
temporis differentiam ab eà, quæ in verbò
involvitur, distractio vocatur, s. subjectum
accipi dicitur cum distractione: e. g. cum
dicitur: *Cæci vident*. Subjectum *cæci* aliam
prorsus involvit temporis differentiam,
quàm verbum, sumitur enim pro iis, qui
fuere cæci. Quia igitur in minore allati
sophismatis sumitur *homo* pro eo, qui est
homo, & sic eandem temporis differen-
tiam importat, quæ in verbo latet, tem-
pus sc. præsens, ideo sumi dicitur in statu:
at verò in conclusione, quatenus ea pro
falsâ habetur, vox *homo* sumitur pro eo,
qui fuit homo, & sic aliam importat tem-
poris differentiam ab eà, quæ in verbò
continetur: verbum enim præsens con-
notat, subjectum autem, nempe *homo*, su-
mitur pro eo, qui fuit homo, & sic aliud,
nempe præteritum tempus, involvit. Hæc
unius vocis diversa acceptio plures parit
ter-